



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

VI. Bischof Gernand von Brandenburg schenkt dem Kloster Walkenried den Zehnten von hundert Hufen bei Colpin, am 2. August 1237.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

V. Bischof Wilhelm von Havelberg schenkt dem Kloster Walkenried den Zehnten von 200 Hufen Landes zu Colpin, am 16. Januar 1237.

In nomine sancte et individue Trinitatis Wilhelmus, Dei gratia Havelbergensis episcopus, omnibus in perpetuum. Ex injuncto nobis a Domino sacri pontificatus officio cunctis quidem paterne sollicitudinis affectu adesse tenemur pariter et prodesse, specialiter tamen illorum utilitati nos decet intendere, quos sub regularis observantia discipline novimus divinis sollemniter obsequiis invigilare. Notum igitur esse volumus universis, quod nos pro spe retributionis divine cum communi consilio capituli nostri fratribus de Walkenred decimam in loco, qui vocatur Colpin donamus cum omni suo jure perpetuo et libere possidendam tali conditione, si eis in terminis plura eisdem accreverint bona quocumque modo, hec nostra donatio ducentorum non excedat manforum numerum, de quibus previa ratione donationis nostre non solvant ullam decimam, sed plena in omnibus gaudeant libertate. Ut autem hec donatio nostra omnino rata permaneat et illesa, presentem paginam impressione sigilli nostri et ecclesie nostre fecimus communiri. Actum Havelberg, anno dominice incarnationis M^o. CC^o. XXXVII^o. Testes hujus rei sunt Bertholdus, prepositus, Johannes, prior, Theodericus, Petrus, Wipertus, sacerdotes, Johannes, Wilhelmus, diaconi, et alii quam pluris. Datum in Havelberg, XVII kal. Februarii, pontificatus nostri anno XVII^o.

Aus dem Walkenrieder Diplomatarium fol. 14, nach dem Urkundenb. des hist. Vereins für Niedersachsen II, 152.
Ein Colpin genannter See liegt östlich bei Milmersdorf.

VI. Bischof Gernand von Brandenburg schenkt dem Kloster Walkenried den Zehnten von hundert Hufen bei Colpin, am 2. August 1237.

Gernandus, Dei miseratione Brandenburgensis episcopus, reverendo viro fratri et amico in Christo dilecto Theoderico, abbati, ac religioso conventui de Walkenred successoribusque ipsorum in perpetuum. Fugientibus cum Joseph ab Egyptia conjuge Pharaonis in manibus ejus pallio derelicto, quibus etiam custodes murorum abstulerunt pallium vetustatis, ut, veterem hominem exuentes, novo se homine revestirent, pium est, ut cum panibus occuramus, paupertatem eorum voluntariam sublevando, cum voluntarie sibi sint pauperes et liberaliter aliis habundantes. Sunt enim quasi greges tonfarum de lavacro ascendentes, exspoliantium semet ipsas, ut suis exuviis et tegumenta prebeant egentibus et tribuant alimenta. Proinde, fratres in Christo Jesu, cum predictarum virtutum et privilegio et usu privilegii gaudeatis ac in nostra diocesi habere noscamini terram centum manforum in loco, qui Culpin vulgariter appellatur, nos de consensu et per consensum nostri capituli iustis precibus vestris dignum prebentes assensum, decimam ipsorum manforum vobis ac vestris successoribus universis concedimus, tradimus et donamus ac presentium auctoritate sanctimur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc donationis nostre paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, noverit se Dei omnipotentis indignationem graviter incursum. Testes hujus rei sunt: Daniel, canonicus Brandenburgensis, Willelmus sacerdos, Theobaldus, diaconus, Albertus, notarius, curie

capellani. Datum Guto we, quarto non. Augusti, anno ab incarnatione Domini M^o. CC^o. XXXVII^o. pontificatus nostri anno XV^o.

Aus dem Walkenrieder Diplomatar. fol. 14, nach dem Urkundenb. des Vereins für Niedersachsen II, 154.

VII. Das Domcapitel zu Brandenburg bestätigt die Schenkung des Bischofs Gernand, am 4. August 1237.

Jacobus, Dei gratia prepositus, H. prior, nec non totus Brandeburgensis ecclesie conventus, venerabili viro fratri et amico in Christo dilecto Theoderico, abbati, ac religioso conventui de Walkenred successoribusque ipsorum in perpetuum. Fugientibus cum Joseph ab Egyptia conjuge Pharaonis in manibus ejus pallio derelicto, quibus etiam custodes murem abstulerunt pallium vetustatis, ut, veterem hominem exuentes, novo se homine revestirent, pium est, ut cum panibus occurramus paupertatem eorum voluntariam sublevando, cum et voluntarie sibi sint pauperes et liberaliter aliis habundantes. Sunt enim quasi greges tonfarum de lavachro ascendentes, expoliantium semet ipsas, ut suis exuviis et tegumenta prebeant egentibus et tribuant alimenta. Proinde, fratres in Christo Jesu, cum predictarum virtutum et privilegio et usu privilegii gaudeatis ac in Brandeburgensi diocesi habere noscamini terram centum mansorum in loco, qui Colpin vulgariter appellatur, nos donationi venerabilis in Christo patris ac domini nostri Gernandi, episcopi Brandeburgensis, consensum prebentes, decimam ipsorum mansorum vobis ac vestris successoribus universis concedimus, tradimus et donamus ac presentium auctoritate stabilimus. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc donationis nostre paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, noverit, se omnipotentis Dei indignationem incursum. Hujus autem in testes sunt: Henricus de Ritbeke plebanus de Sancto Godehardo, Johannes de cimiterio, Nycolaus subcustos, Johannes, Eppo, Rodolfus de Sandowe, Baldewinus scolasticus, canonici nostre ecclesie, et totus reliquus conventus. Datum Brandeburg, anno Domini M^o. CC^o. XXXVII^o. II^o. nonas Augusti.

Aus dem Walkenrieder Diplomatar. fol. 14, nach dem Urkundenb. des Vereins für Niedersachsen II, 155.

VIII. Herzog Barnim von Pommern schenkt dem Kloster Walkenried 108 Hufen Landes in der Ufermark, am 31. Januar 1239.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Barnim, Dei gratia dux Pomeranorum, universis hanc paginam inspecturis in perpetuum. Quia rerum humanarum quantumvis ardua, quantumvis preclara negotia delet citius et in nichilum deducit oblivio, sic solum huic pesti occurritur, si probe gesta vel provide sili officio consignentur. Ad omnium igitur tam presentium quam successorum notitiam cupio devenire, quod juxta divinum et celeste consilium peccata mea elemosinarum inpendio sperans redimere et optans michi amicos de iniquo mammona comparare, venerabilibus